



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Arbiter electus, vt inter actorem, & reum iudicet, quid facere teneatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO V.

Ex consil. 6. 7. alijs deest in Nouis 6.

Profectio propter metum patris mortem minantis in religione approbata facta, & in qua per tres annos viuente patre manens sacris ordinibus ad titulum religionis promouetur; per promotionem illam ad sacros ordines valida non censetur, cum votum quod ab initio ob metum aliquem nullum est, solo tractu temporis, neque coram Deo, neque coram hominibus, concurrente etiam gestatione habitus, & permansione in Monasterio, & praestatione suffragij in Capitulo, & alia faciendo, quae solis professis competunt, conualescit, cap. 1. de his quae vi, & c. Non firmatur, de reg. iur. in 6. l. quod ab initio. ff. tit. eo. multoque minus per susceptionem ordinis durante causa iusti metus professionem suam ratificari praesumi debet, quae est res separata a professione, & a separatis non fit illatio. l. Papinianus, ff. de minoribus. Peccat tamen sacros ordines suscipiendo, & male ordinatus est, quia scienter absque beneficio, & iusto patrimonio, & etiam absque iusto titulo religionis eos suscipit. c. Episcopos, c. tuis, c. cum secundum, de preben. & c. neminem, dist. 72. Potest autem talis post cessationem metus iniuste impediens a reclamando, cessante impedimento reclamare, si sit impedimentum iuris, quia iniuste impedito non currit tempus, aut praescriptio. l. 1. C. de ann. except. & si sit impedimentum facti debet audiri per restitutionem, vt ait Panor. in c. ex transmissa, de praeser. Idemque de suscipiente ordines post cessationem metus, durantibus tamen impedimentis iuris, vel facti ad reclamandum, censendum est.

TITVLVS XXIV.

De in integrum restitutione.

SYMMARIVM.

Dispensare potest Episcopus super incestu maiore adulterio.

DECISIO I.

Ex consil. vincto, alijs 3. de iudicij.

Episcopus, licet regulariter in criminibus maioribus & adulterio dispensare non possit, in incestu tamen maiore adulterio, ex legis concessione dispensare valet: c. virginem, cap. si qua virgo, c. si quis sacro, 27. q. 1. Panor. & Ioann. Andr. in c. si clerici, §. de adulterijs, de iudic. & consequenter cum verbaliter, aut sententia sua ob incestum spirituales deposito dispensare, & illum etiam ad suos ordines restituere poterit. Quamuis enim incestus verus cum matre, aut filia carnali, crimen maius adulterio sit, c. Adulteriij malum, 32. q. 1. incestus tamen in remotiori gradu, vel cum cognata spirituali, crimen minus adulterio indicatur, vt asserit S. Th. 2. 2. q. 154. ar. 9. & Caic. ibi, & prouide sine dubio in eo Episcopus valide dispensare potest.

TITVLVS XXV.

De Arbitris,

Hic titulus deest in antiquis.

SYMMARIVM.

Arbitrarius electus, vt inter actorem, & reum iudicet, quid scire tenetur.

DECISIO I.

Ex consil. vincto in Nouis, deest in antiquis.

Arbitrarius electus, vt in conscientia inter Reum, & Actorem iudicet, illam fidem pro omnibus adhibere debet, quam iudex fori exterioris adhibuisset: vnde licet actori, etiam alioquin fide digno, iuramentum deferre nequeat, nisi pro ea parte, quam semiplenè probauerit; Reo tamen iuramentum purgationis, data praesumptione aliqua notabili contra eum, deferre potest.

Finis Libri primi.